



CAP. II.

De Verborum generibus et vario usu.

I.

Sed ad reperiendum sensum plurimum valet, etiam nosse discrimina verborum, quae sensum adficiunt, et eorum vim vel mutant vel augent.

2. Prima autem distributio, quae maximum momentum facit in interpretatione sacrorum in primis librorum, est in *propria* et *tropica* vocabula.

3. Et prima quidem institutione, dubitari vix potest, verba propria fuisse omnia, et ad certas res indicandas facta et excogitata, ut per eas discerni facile et sine ambiguitate possent. Et tamen sufficiebant non ita multa verba, propterea, quod in illa prisca vitae simplicitate paucae res in sermonem cadebant.

4. Sed mox orta est primum necessitas verborum varie usurpandorum, aucta rerum copia, de quibus conferre sermones cuperent homines: cum partim de rebus iis cogitare et loqui coepissent, quas olim non curassent, vel cogitatione complecti, vel sermonibus celebrare: partim novae res inuentae essent, ad quas appellandas opus esset certis verbis. In quo duplex erat ratio huic necessitati seruandi. Nam aut noua vocabula